



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

411. Die Sanctæ Catharinæ. De studio dilectionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

dire non permittat, ut Sacrificium & Hostiam immolem, in susceptione sacratissimæ Eucharistiæ, de qua ait Glossa in Cap. 16. Exod. *Corpus Christi sicut pruina, refrigerat ardorem peccatorum.*

## MEDITATIO CCCCXI.

## Die S. Catharinæ.

*De Studio Dilectionis.*

**V**idebo S. Catharinam visibiliter in sponsam à Christo desponsatam. Petam esse de Virginibus, quæ Prudentes habuerunt oleum charitatis, legemque igneam in manibus suis.

*Conf. 1. Qui non vult habere charitatem, ex omni parte Hierusalem portas ei clausas inveniri, inquit D. Cæsarius Hom. 11. Et hæc est causa, cur quinque fatuis dicatur: Amen, nescio vos.*

*Conf. 2. Quàm multi sint in fatuorum numero, quòd vel in uno offenderint, à nunc putem omnes inferos, omnia admisisse peccata? omnia mandata transgressos? omnes conculcasse virtutes? Unius Præcepti transgressio, unius virtutis neglectus, divisit inter eos & Deum. Perire necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat, ait S. Bernardus serm. 2. de S. Michaële.*

HH

§

Conf. 39

Conf 3. Si non esset decreta tanta non  
 amantibus poena: tamen adhuc nullum no-  
 bis quærendum esset amoris objectum præ-  
 ter Deum, in quo quidquid desiderabile,  
 reperiri integrè potest. Quòd si ab illo disces-  
 sero, inania, falsa, & fucata sunt omnia, lar-  
 væque deformes & odibiles; Quia verò non  
 diligentibus Deum adjecta insuper est poe-  
 na, ut loquitur D August. lib. 15. de Trinit.  
 cap. 18. *Nisi tantum impertiat cuique Spiritus  
 sanctus, ut eum DEI & proximi faciat amato-  
 rem, à sinistra nõ transfertur ad dextram: quo-  
 modo aliud agere, loqui vel cogitare potero,  
 nisi amorem? Amo te, ó supremum Bonum  
 amore complacentia, quã te traho in cor meû,  
 sicut Sol recipitur à speculo, quantum illud  
 est ejus capax. Amo amore benevolentia, quã  
 si per impossibile tibi aliquid deesset, vellem  
 non deesse, multò magis volo tibi omnem,  
 quem potero, gustum dare. Amore amicitia,  
 quã mei odio, tui amore agam, quidquid  
 egero. Amore obedientia, quã opto volun-  
 tatem tuam esse regulam omnis actûs mei.  
 Acceleranda consumationi in unum, quã ci-  
 tius eo veniam, ubi te amem ex toto corde,  
 mente, anima, viribus, virtute, spiritu, præ-  
 sertim in Eucharistia, ubi hæc est Virginum  
 specialis prærogativa. Quia in communione  
 omnibus dat Dominus osculum, Virginibus  
 post*

post osculum oris infigit osculum pectoris.  
Ita dicit Gertrudi Dominus lib. 3. cap. 17.

## MEDITATIO CCCXXII.

Die S. Andreae.

*De tribus clavibus, sex triplici causa  
crucem ferendi.*

**V**idebo D. Andreaem viriliter in cruce  
gaudio gaudientem. Petam eum imitari.

*Conf. 1.* Verba S. Andreae in cruce penden-  
tis, & disquiram: homo est, qui loquitur hoc,  
an non est homo, sed Angelus, aut nova ali-  
qua creatura? homo planè similis nobis pas-  
sibilis, nam passibilem esse passio ipsa testa-  
tur. Quà vicinâ letabundus exultabat un-  
de, an à te? absit; Spiritus erat, qui adjuvabat  
infirmiorem, per quem diffunditur in corde  
charitas, morte quavis fortior, quavis ejus  
amaritudine dulcior, quacunque ejus lon-  
ginitate præstantior. *Spiritus, si adesset, ad-  
juvaret infirmitatem nostram, ait S. Bernard.*  
serm. de S. Andr. Optabo hunc Spiritum  
toto corde.

*Conf. 2.* Quomodo hic Spiritus triplici  
ratione impellat ad crucem. 1. Egone, ut  
me amem, hostem Dei? 2. Egone, ut aliam  
sortem quæram? 3. Egone, ut non amem  
bonitatem infinitam? Non est explicabilis  
vis incitamentorum his verbis inclusorum.

MM 6 ad